



Nr. 14

Q. D. B. V.

DISSSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
**DODECAS:**  
ET IN EA  
PRIMA  
DE  
**PATROCINIO**  
**IMPIETATIS,**  
A VIRO CLARISSIMO,  
PETRO POIRET,  
IN OECONOMIA DIVINA  
DOCTRINÆ EVANGELICÆ DE  
SATISFACTIONE ET JUSTIFICATIONE,  
SENSU FORENSI ACCEPTA, PERPERAM  
TRIBUTO :  
QVAM  
IN REGIA FRIDERICIANA  
die Maji hujus M DCC XIX. anni,  
PRAESIDE  
**JOACHIMO LANGIO,**  
SS. THEOL. D. ET PROF. ORD.  
Ad τῶν συζητήσεων objectiones respondendo  
publice defendit  
**JOANNES GEORGIUS ZELLIUS,**  
BIBERACENSIS SVEVUS.

---

HALAE SAXONUM,  
Typis JOAN. FRID. KROTTENDORFI, Acad. Typ.

на с  
дома  
погоды

ПАТЯКИНО

ИЗДАТЬ

БЕСЕДЫ

ДЕ

PRÆFATIO ISAGOGICA IN HANC ET RELIQVAS  
DISSERTATIONES.

LECTORI BENEVOLO  
S. D. P.  
PRAESES.



Ecte de Cl. PETRO POIRETO  
judicat celeberrimi nominis  
Theologus & Cancellarius  
Tubingensis, D. IO. WOLF-  
GANGUS JAEGERVS, quando  
in fronte *Examinis Theologiae novæ*, eidem op-  
posito, ipsum vocat *subtilis ingenii virum*, qui  
*si intra terminos verbi divini substitisset*, inter primos  
*seculi nostri Theologos referri posset*. Intra istos ve-  
ro terminos POIRETUM se non continuisse,  
in Examine isto pluribus demonstratum  
est. Recessit ille ab iis teuctius ac parcius  
in libro de *Eruditione*, alias *egregio*; longius  
autem ac apertius in singulis tomis *Oecono-  
mia Divina*, qui anno MDCLXXXVII Amstelo-  
dami primum Gallice, deinde anno hujus  
seculi quinto Francofurti, aut potius Lipsi-  
æ, ab ipso auctore Latine versi, in uno vo-  
lumine prodierunt. Et periculum quidem

A 2

damnum-

~~PAVOLINIA TIBURCIUS~~ PRÆFATIO ISAGOGICA.

damnumque, quod euangelicæ veritati ab  
hoc auctore impendet, immo ex parte jam  
illatum est, eo est majus, quo magis ille le-  
ctoribus sese commendat methodi concin-  
nitate, studiique & scopi, ad solida, & in iis  
ad communionem cum Deo beatissimam,  
tendentis, præstantia; sed utinam in ordi-  
ne subsidiorum genuina! Vnde venerabi-  
lis Theologus Tübingensis in epistola ad  
POIRETUM, Exameni subjuncta, non immerito:  
*Miror, inquit, ingenium tuum, & quotiescumque li-  
bros tuos volvo, acumen judicii astimo, quod etiam di-  
storta & male alias coherentia, prout falsitas nunquam  
satis coheret, in tam concinnam methodum & ordinem  
redigere scivisti. Porro: Exterior quidem cortex ha-  
bet aliquid ex methodo mathematica; sed methodus  
subtilis vitium in materia corrigere non potest. Item  
in Proemio Examinis ad lectorem: Quod  
merito mireris, vera & falsa, sana & morbida, tam  
subtili eloquentia necluntur, ut acie ingenii opus sit, ad  
vitium in subdolo filo deprehendendum.*

Tres vero scopuli in Oeconomia Poiretia-  
na

PRÆFATIO ISAGOGICA.

na reliquis sunt extantiores: *primus* in hypothesi de origine animæ humanæ in Adamo a liisque hominibus: *secundus* in doctrina de Satisfactione & Justificatione, nec non in cognatis ejusdem capitibus: *tertius* in favore & principiis Papismi.

Ad primum quod attinet, *animam* hominishabet pro *particula divinae essentie*, primum a Deo per essentiale emanationem in *Adamum* traducta, & inde per traducem in universum genus humanum propagata. Qui error de *emanatione* inter alios fontis instar præcipue in duos hosce rivulos se diffundit, unum *Enthusiasmi*, positi in falso credito commercio animæ nostræ cum Deo, *ā μέτων* tali; alterum *Naturalismi*, quo, quæ naturalis tantum luminis ac virtutis sunt, pro divinis & supernaturalibus habentur, fide, pietate ac salute, ipsiis etiam gentilibus, doctrinæ evangelicæ expertibus, adscripta. Cui hypothesi non parum inservit illa, quam POIRETUS habet de gratia

A 3

Dei

PRÆFATIO ISAGOGICA.

Dei, Adamo lapsō denuo oblata; utpote quam is generatim ejus posteris, per ipsam nascendi sortem, etiam sine evangelicae applicationis ordine, tribuit.

Caput præcipui erroris secundum, quod de *Justificatione* agit, omnium est uti maxime noxiū, ita etiam fœcundissimum; quippe quod per multas cognatas magnique momenti materias terpit, variis ac periculosis eas præjudiciis replens, aut repletas esse prodens. Negat enim vir doctissimus multa cognati argumenti dogmata, quorum fundamentum in tabulis sacrīs est solidissimum, & quorum auctoritas in ecclēsia semper fuit *ἀξιοπιστός*; iis, quæ arenosa plane sunt & ruinosa, in eorum locum indignissime substitutis.

Negat speciatim in *Justitia Dei* *indolem* ejus *ultricem*. Negat in *peccato protoplastorum reatum*, *postoris imputabilem*, aut *imputatum*. Negat in *sacrificiis* efficaciam typice *christianā* & *evangelicam*. In doctrina de *Christo*

PRÆFATIO ISAGOGICA.

7

*It*o negat omnem officii sacerdotalis nervum, qui est in *satisfactione i[n]asurā*. In prolixia sua *fidei* descriptione prætermittit, & re ipsa negat, officium ejus *organicum & passivum*, positum in *apprehensione & receptione*, nimirum meriti & justitiæ Christi. Quæ falsa principia, quemadmodum sua inter se genealogia cohærent, sic doctrinæ de *Justificatione illata*, non possunt non eidem alienissimam plane & deformem faciem induere, eamque totam deprauare. Nam, negata *justitia Dei ultrici*, negatur is peccati reatus, qui *pœna* nos reddit obnoxios, & ab Adamo per *imputationem* non injustam in uniuersum genus humanum transfusus est. Sublato autem *reatu*, qui condemnat, tollitur *necessitas expiationis & satisfactionis*, tum *typica in sacrificiis*, tum *antitypica in officio Christi sacerdotali*.

Et cum hac ratione *fides* non habeat, quod *recipiat*, tollitur natura ejus *antiqua*, seu *receptiva*, *organica & relativa*, ad *autem Christi i[n]asurā* referenda. Quibus erroribus suppo-

suppositis iptiam doctrinā de Justificatione  
saluam haud manere, sed totam corrumpi,  
manifestum est. Iстis enim subsidiis male  
instructus ad ejus tractationem accedit  
PORRETUS, ideoque eam miris indignisque  
modis depravat, novum plane universæ  
Theologiæ systema, in quo doctrina hæc  
male locatum centrum est, efformans.

Uno autem erroris sui nititur præsidio,  
quod uti reliquis est speciosius, sic plus  
adferit lectoribus periculi, in primis ejus-  
modi ἀνάροις, quos PETRVS Apostolus αἰσχεί-  
τες vocat. ep. 2. c. II, 14. III, 16. Hoc est studi-  
um sanctimonie tam operosum ac fervens, ut  
mirum non sit, si a lectoribus, qui ab eo  
alieni non sunt, etiam invitis assensum im-  
petret, sibique eosdem conciliet. Nec au-  
sim negare, hunc contentioris praxeos  
amorem in Auctore nostro esse serium,  
& hoc nomine laudabilem. At genui-  
num esse, hoc est, quod ego quidem fa-  
cta disquisitione non sine argumentis ne-  
go & pernego. Cu-

PRAEFATIO ISAGOGICA.

Cujus sententiae meæ ratio præcipua  
hæc est, quod doctrinam de Christi Satis-  
factione & Justificatione evangelicam ha-  
bet pro summo omnis veræ pietatis ac re-  
novationis impedimento, & pro vitæ Epic-  
ureæ præsidio ac patrocinio. Et hic er-  
ror eo apud ipsum loco est, ut non imme-  
rito haberi possit pro περτοῦ Φίλοι, unde u-  
niversa corruptelarum, quæ modo com-  
memoratae sunt, progenies ortum suum  
traxerit, corruptæ rationis & Burignoniæ  
magisterio, quod incaute inconsulteque  
admisit, infeliciter sublerviente.

Tertius, isque exstantior, Poiretiani Sy-  
stematis scopulus est in diversis *principiis*, leu-  
*seminibus*, *Papismi*: quorum ratio ita est com-  
parata, ut incautiorum alios in eodem  
possit conflopere, alios ad eundem blande  
adducere, in primis si causæ defectionis  
politicæ accesserint. Etenim ὅπλανθεν  
prætextus religiosos avide arripiunt, ut  
habeant, quo reclamantis conscientiæ mor-

B

fus

sus ac tumultus si non componere ac demere, ad tempus tamen obtundere possint.

Quæ cum ita sint [esse vero, ex instituto proxime demonstrabitur,] videt unusquisque, amplissimum disquisitioni campus in *Oeconomia Poiretiana* patere. Et cum summi momenti dogmata ab Auctore in controuersiam adducta, immo in tensum ab apostolica hypotyposi alienissimum detorta sint; ecquis negaret, examine hic opus esse curatiori? maxime si consideretur, quantum bonis mentibus damnum heterodidascalia illa attulerit, & quantum inde detrimentum multis aliis impendeat, eximia veri ac recti, studiique sanctioris, specie, qua totum volumen enitescit, incautos ad assensum & obsequium aufferente.

Nec mihi hanc operam vitio vertere poterit clarissimus Auctor. Quod enim is juris sibi ipse fumis in alios multos, speciatim

PRAEFATIO ISAGOGICA.

ciatim in MALEBRANCHIUM & CARTESIUM, immo in ecclesiam evangelicam; cur id mihi denegaret in semet ipsum, non commis-  
turo, ut de justæ ac placidæ disputationis legibus neglectis jure possit conqueri.  
Utinam vir eruditissimus intra istos τῶν θεο-  
λογικῶν & censuræ limites, quos in libro  
de Eruditione seruauit, se continuisset. Et-  
si enim nec is nævis suis caret, quemad-  
modum in mea *Mentis Medicina* ingenue in-  
dicavi; eo tamen intemperiei in illo  
non procedit, quam hic fere in singulis  
Oeconomiae partibus videoas. Absit vero  
ut diffitear, etiam in hoc volumine depre-  
hendi, quæ multis se nominibus commen-  
dent, sed ab erroneis & noxiis hypothesi-  
bus, quas passim intermixtas habent, sa-  
pienter fecernenda, secundum illud Apo-  
stoli: *omnia probate, quod bonum est, retinete.*  
1 Thess. V, 21.

Ad errorem inter extantiores primum i-  
stum, de origine animæ humanae divina per e-

## PRAEFATIO ISAGOGICA.

manationem e divina essentia, quod attinet, illum jam lex ab hinc annis detectum ac confutatum exhibui in duabus Disputationibus de ortu anime in Adamo, non per emanationem, sed per creationem. Accingor itaque in Dei sincere invocati nomine ad Examen secundi erroris primarii & omnium foecundissimi, seu per multa dogmata diffusi, scilicet illius, qui doctrinæ evangelicæ de *Justificatione* adversatur, positus partim in falsissimis hypothesisibus de Dei *justitia*, de *peccato*, *sacrificiis*, officio Christi sacerdotali & de *natura fidei*; partim in ipsis *corruptelis*, quæ e principiis istis in ipsius doctrinæ de *Justificatione* depravationem redundant.

Disputationum, volente Deo, intravertentis anni spatiū habendarum, hæc erit series:

Prima de *præjudicio*, quod est in falso credito impiatis patrocinio.

Secunda de *præjudicio*, seu falso principio, quod est in hypothesi de negata Dei *Justitia* vindice.

Tertia

PRAEFATIO ISAGOGICA.

Tertia de falso principio in doctrina de peccato, *speciatim in negata ejusdem imputatione.*

Quarta de falso principio & errore in doctrina de sacrificiis, *speciatim in negata eorum virtute i&lasim⁹, r̄vniās tali.*

Quinta de falso principio & errore in doctrina de Christo, *præsertim officio ejus sacerdotali.*

Sexta de falso principio in doctrina de fide justificante, *speciatim de negotio ejus organico & λητινā.*

Septima, octaua & nona de ipsis corruptelis, *doctrinae de Justificatione illatis.*

Decima de seminibus Papismi, *passim per Oeconomiam Poiretianam dispersis.*

Undecimæ & Duodecimæ Disputationis loco sunt  
ille due, que de origine animæ jam habitæ sunt ante aliquot annos. Quod si eo jam tum tempore reliquas iisdem subjunxissem, primum habituræ fuissent locum, quæ nunc melioris ordinis caussa in ultimum rejiciuntur.

Quos diversi generis ac fœcundioris progeniei errores extantes, qui in novo isto Theologiae syntagma, e veritate iisdem opposita, probe perspectos habuerit, illi in reliquis, qui hic prætermitti cum iisdem arctius, aut laxius etiam, cohærent, dijudicandis non deerit facultas. Ea autem tractationis hujus erit brevitas, quam Academicarum Dissertationum, quæ publicæ συζητήσεως caussa proponuntur, πρέπον requirit. Quem in finem

## PRAEFATIO ISAGOGICA.

nem ipsius veritatis evidentia & subsidio contentus ab operosis Auctorum allegationibus abstinebo.

Ceterum ad indolem Theologiae Poiretianæ recte di-judicandam non parum affert momenti, si singulatim, carptim tamen, adhuc consideremus duo ista *principia*, quæ ipsius principiis insunt, ab ipso Tom. I. p. 574. his pro-dita verbis: *Neque ignoro, me quondam rationis meæ idolo cap-tum iisdem rationibus difficultatibusque a peccati origina-lis negatione parum absuisse: quo me periculo Deus non per-vim atque industriam rationis inceptæ, nec per doctorum li-bros eripuit, sed per indoctæ virginis A. BURIGNONIAE, scriptas, quibas cordi illuxit plenus, tum ad has ipsas materias difficultatesq; tum ad cætera fere omnia, divina & humana, naturalia & supernaturalia commonstranda.* Videamus in Auctore nostro duo extrema, unum in cultura rationis inconsulta, & in obsequio ejusdem devio, cui primum totus fuit obnoxius; alterum in magisterio foeminæ: quam quia pro illuminatissima habuit, cuius similem christianus orbis ostendere nequeat, eidem ita le man-cipavit totum, ut a dictis scriptisque ejus, tanquam a to-tidem oraculis diuinis & ~~erratis~~, obsequentissime pen-deret.

Huic enim quantum tribuerit, & quantum lectores Oeconomiae tribuere debeant, inter alia videoas sub initium Libri IV. in Monitis n. VI. ubi causam suam adver-sus eos, qui frequentiorem Burignoniac allegationem vi-tio ipsi verterant, ita dicit: *Non potuisssem hoc intermittere, quin aliquo modo plagiarius fierem, quippe qui, ut verum fa-tear,*

PRAEFATIO ISAGOGICA.

15

tear, sine libris ac conversatione Dm. Burignonie in rebus  
divinis, imo & in naturalibus, solidi quid haud cognoscere. Quas in libris hisce exposui veritates, plerque sunt conse-  
quentie principiorum, que ex ejus scriptis elicite, aut post-  
modum investigatae ac detectae per generales quasdam ab i-  
psa quibusvis in rebus suggestas declarationes. Jam decem  
ab hinc annis publice hoc testatus, idem adhuc confirmo, &  
in ejus specimen opus hoc edo Oeconomia Divinæ, in quo vir-  
ginem illam qualibet propemodum pagina citare debuisssem,  
si, que introductionis in veritatem, aut ejusdem illustratio-  
nis ansam in ipsa mibi dederunt, attingere oportuisset. Et  
sane ei ejusque scriptis, haud secus ac Dei instrumentis, te-  
nebrarum depulsionem, erectionemque e misere rationis i-  
dolatria, Scripturæ sacræ ac spiritualium scriptorum qua-  
lempunque intelligentiam, verbo, veritatis cognitionem, quæ  
ipsa vita digniora sunt, secundum Deum debeo. u. t. λ.

Videmus hic scopulos ingenii Poiretiani duos, ad  
quos cum haud exiguo veritatis detimento allitus est; unum in sceptico ægræ, utut sagacissimæ, rationis nego-  
tio, alterum in vitio credulitatis, ab auctoritate unius  
foeminæ pendentis. Hanc quidem iis non excipio no-  
minibus, quibus eam a plurimis notatam novi:  
at errasse tamen eam quam grauissime, & quidem  
in multis doctrinæ euangelicæ capitibus, vel e solo ejus  
discipulo genuino abunde liquet. Fuerit illa sinceræ,  
Deique amantissimæ mentis: fuerit etiam aliquot cha-  
rismatis mirifice insignita, uti POIRETUS prædicat.

Utrum

Utrum vero illa mentis sinceritas, illa caritatis praxis & tantopere prædicatus ille charismatum splendor, indolem & formam habuerit Evangelicam, hoc est, de quo merito disquiritur. Ego sane hoc ut credam, & pro auctoritate habeam, quæcunque nitescunt, adduci non possum. Ubi enim decet apostolica doctrinæ hypotyposis, ibi nec vitæ praxis genuina est. Burignoniam vero apostolicam doctrinæ παρεπατησίαν habuisse, quo minus credam, obstante discipuli principia & dogmata, e magistræ istius ore & calamo hausta, & in modum bene ordinati systematis concinne, specioseque ac insidiouse magis, quam solide, digesta.

Utinam vir clarissimus inter scopolos istos doctrinæ suæ navem tenuisset in ancora Scripturæ Sacrae! Eam quidem passim allegat; sed parcus, quam par erat, & quod dolendum est, plerumque minus convenienter, falso nixus supposito, theologumena sua sacris litteris esse consentanea. Quæ conformitas ut appareat, hypotheses suas non Scripturæ, sed Scripturam hypothēibus, accommodat, de servando normæ jure parum solicitus, nec ejus contradictionem, quasi apparens tantum effet, curans. Unde, extra evangelicæ veritatis orbitam ipsum sæpiuscule abripi, non est mirum. Accedamus nunc in nomine Dei ad rem ipsam,

DISSE

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IPSA  
DEPATROCINIO IMPIETATIS,  
DOCTRINAE EVANGELICAE DE SATIS-  
FACTIONE ET JUSTIFICATIONE PER-  
PERAM IMPUTATO.

MEMBRUM I.

De

Sententia Poireti erronea,  
Evangelicæ doctrinæ adversa.

Εὐορφις.

- Poiretus negotium renovationis ur-  
get corrupte, in prejudicium e-  
vangelicae veritatis. §. I.
- Speciatim in doctrina de Satisfa-  
ctione Christi. §. II.
- Fœdo eius abusu in negationis ar-  
gumentum abrepto. §. III.
- Nec non in ea de Sacrificiis, virtu-  
te eorum ἡλασικῆ temere nega-
- ta. §. IV.
- Porro in doctrina de Justificatione.  
§. V.
- Ulpote in qua itidem oppugnat i-  
psam veritatem. §. VI.
- Et quidem pariter sub specie da-  
mnati abusu. §. VII.
- Et cum nimia erga se ipsum fidu-  
cia. § VIII.

§. I.

 Audem in eo meretur Cl. POIRETUS, quod  
renovationis negotium magno urgeat opere ac  
studio, iis, quæ solida sunt & pro opinione  
sua huic scopo inserviunt, unice intentus, &  
pro eadem id agens præcipue, ut renovationis exerciti-  
um ac necessitatem commendet. Hoc vero laudabile  
est minime, quod istud ipsum cum manifesto veritatis,  
atque ita ipsius etiam pietatis, detimento conatur. Ne-  
que enim hæc, ista læsa, salva remanet. Et ne excusa-  
ri qui-

C

ri quidem in ipso potest ea a veritate aberratio, qua, quod verae sanctimoniae scaturigo est, pro Epicurea*m* impietatis praesidio & alimento habet, odiosisque nominibus traductum bonis etiam mentibus invisum reddit. Ut vero id eo majore cum veri specie iisdem periuadet, abominandum verae doctrinae abusum in argumentum allegat, iis etiam, quae recte dicta sunt, nec abusui per se patrocinantur, in sinistrum sensum abruptis.

## §. II.

Exemplum perverbi hujus judicij Auctor præbet in doctrina de *Satisfactione* & de *Justificatione*. Et de ea quidem statim in aditu ad Librum IV. Monito II. ubi illam vocat *cogitatum scholasticum*, de ea ita sentiens: *Quod ad me attinet, si scholastica isthec commentatio sanctificationis incentivum hominibus esse posset, certe eandem, quamvis falsam, nequaquam rejicerem: tanti enim non est, quo quis pacto rationes ac caussas passionum Domini concipiatur, quam ut ad verum vitæ mortisque ejus scopum tendat, qui monente Sancto Paulo est, quo nos redimeret ab omni iniquitate & mundaret sibi populum peculiarem sectatorem bonorum operum Tit. II, 14.* At cum illa sanctificationi potius obluctetur, quam proft (saltē plurimorum respectu) facile eandem & ego reliqui, proferendo geni in rationes n. r. a. Videatur hic locus integer infra cum subjuncto examine. Conf. L. IV. c. III. p. 84. Solum hoc commentum infelicissimum substitutionis exemptionisque pro vetere homine, eidem detrahendum est, siquidem virtus ille homo obtenuit Justitiam Dei non potuisse placari, nisi sanguine doloribusque infinitis, quos homo ipse ei persolvere non poterat, totum hoc negotium a se devolvere vo-  
luit.

## §. III.

## §. III.

Quam vero indigne poiretus cœlestis hujus de Satisfactione veritatis abusu fœdissimo pro argumen-  
to negationis & depravationis suæ utatur, videas p. 93.  
ubi: *At vetus noster, inquit, homo Scripturas Sacras perpetue corrumpit, ut vitam suam possit: Ille facit, ut assidue in ore habeamus grandia verba: Jesus Christus pretium redemtionis nostræ persolvit: ille dedit vitam suam lytron pro multis: ille nos pretio sanguinis sui redemit: ille nos legis liberavit a maledictione, dum ipse factus est maledictio, ut fieremus justitia Dei in ipso: aliaque his similitudine. At heus tu coro & corruptio infelicissima, vetus homo nequam, idemque veterator callide! Ista quidem omnia verissima sunt, at eadem tibi nihil nisi ipsissimum mortem presagium! Putasne vero Christum voluisse hominem veterem redimere, atque ita impudore, ne ille moreretur? voluisse mortem abolitionemque veteri homini debitam, ad ejus liberationem immunitatemque ipse solvere? Næ, quam blasphema hæc essent! Christus potius hyrum persolvit pro spiritu, ut caro moreretur, pro homine inquam interno ac divino, ut homo corruptibilis ac manus periret, x. t. λ.*

## §. IV.

Non rectius sentit in doctrina de *Sacrificiis*, ubi sen-  
tentia de virtute ipforum *ἱαστη̄*, in typo considerata,  
ipſi est *abominationis desolationis, qua animæ sanctuarium coram Deo fiat abominatione dignum, tandem penitus desolandum*. Vi-  
deri quidem possent hæc soli abusui Epicureo esse op-  
posita; sed negari quoque rem ipsam, tota textus *οὐδέ Φα* ostendit. Et quanta noa est temeritas, quando i-  
pſam etiam ecclesiæ nostra sententiam verbis *ἀπόστως* se-  
quentibus impietatis arguit, quasi ea destructionem pec-  
cati

cati inh erentis & animorum nostrorum sacrificationem negaret: *Ita sit*, inquiens, *ut tenebr  necessary in nobis eternum vivant, siquidem per lumen divinum Christi corda nostra feriens re ipsa atque inherenter non sacrificentur atque destruantur.* - - Et h c profecto per se manifesta sunt; quandoquidem sacrificium Christi per solam imitationem participationemque, quam fides in nobis operatur, nostrum sit. - Ergo sacrificium Christi neminem a sacrificio illo, quod singuli, qui servari volunt, facere tenentur, immunem prestat.

## §. V.

Videamus nunc eandem Auctoris nostri *ερεθότητα* in doctrina de *Justificatione*, ubi Oeon. L. V. c. VIII. §. XXVI. p. 525. seqq. h c habet: *Notorium est & multo manifestissimum, eos, qui adhuc corrupti sunt, & in corruptione sua vivunt, justificationem sibi quandam querere, qua certi esse queant, jus vir  eterne sibi indubitate competere - ut ut ipsi corruptioni sue & impuritatibus roti adhuc involvantur. Itaque ubi eam in actu quoddam declarative & forensi, non vero in infusione gratie inherenter, consistere legunt, vel audiunt, illico amor corruptae naturae proprius, vetusque Adamus, qui non ignorat, nullam gratiam infusam in se inveniri, doctrinam istam ex animo amplectitur, ratus, etiam si gratiam infusam aut inherentem nullam nisi ipsissimam impuritatem in se videat, id tamen non impedit, quin justificetur, modo ut ex toto corde sibi persuadeat, quod justificatus sit, Deusque actum hunc forensem erga se praestiterit. Atque adeo hac ratione Justificatio non erit nisi declaratio quedam consequens persuasionem, qua corde creditur, Deum nos &que justos reputare, atque est Jesus Christus, licet puri puti ad huc nebulones simus. Profecto veteris Adami depravatum cor, quod tantopere sibi ipsi imponit, non nisi ad commoda sua & voluptates adspicans, penitus foret*

foret truncus, nisi eam sibi persuasionem & applicationem facere posset; eam siquidem eo perinacius facere poterit & facilis, quo magis cœcum erit & corruptum ac sui ipsius amore, persuasione & fastu refertum atque ab omni ratione alienum. Atque ira fiet, immo fit, ut vetus Adamus in cunabulis justificationis reclinatus, ad quietem & pacem nullo se negotio compонat, filiusque ille perditionis in iis cunis hinc inde quasi agitatus, obdormiens spirare ad vitam æternam, cuius se hæredem factum credit, se, ubi expurgaretur, intromissum iri.

## §. VI.

Ne quis vero existimet, loqui POIRETUM de solo abusu, videatur ejusdem declaratio, quam sequenti paragraphe statim subjungit. Hic enim post alia nonnulla ita pergit: *Alii auditoribus suis & discipulis in ipsis catechismis ea inculcant, que eodem sponte sua redeunt, veluti questio ea & responso, quam proponunt, testatur. Quæst. Quomodo iustificatus aut iustus es coram Domino? Resp. Sola fide in Jesum Christum &c.* Est hæc quæstio in catechismo Heidelbergensi ordine sexagesima, normæ veritatis apostolicae omnino conformis, & nostratis etiam ecclesiæ confessionis consentanea; quam auctor ideo, quia in fœderato Belgio inter Reformatos vivit, sub censuram vocare maluit, de nostræ confessionis sententia idem sentiens.

## §. VII.

Quam vero dura & iniqua sit censura ista, videoas in subjuncta epicrisi p. 526. seqq. Ubi inter alia: *Nonne, inquit, ea horribilis quedam est iustificationis idea, homines non servare, sed eternum damnare apta nata? Quanto satius foret talia, que venenum revera sunt mortiferum, ejicere e libris iis, quos ætati teneræ itemque plebi versandos proponunt,*

12. MEMBR. II. DE FALSITATE SENTENTIAE POIRETIANÆ,

in quibus vix unus e millibus erit, qui in animum revocet glos-  
fas illas & interpretationes coadas, quibus verba ipsa torquent,  
ut alia, quam que sponte significant & lectoribus inculcant, di-  
cere videantur? n. r. a. Item p. 528. Hec profecto declara-  
tio judiciaria, hic aliis forensis non nisi a Satana in foro con-  
scientie occoxati fieri potest. &c. Et cum hoc applicasset  
illud Jesaiæ c. V, 20. Ve illis, qui bonum vocant malum, ma-  
lum vero bonum &c. quis est, porro inquit, quem non pude-  
at tam stolidi & tam inepti commenti, si quidem tantillum sen-  
sus communis in eo supersit?

§. VIII.

Ejusdem commatis sunt, quæ alibi de hac doctrina  
occurrunt; v. g. p. 513. Hec materia præjudiciis multis invo-  
luta est, quæ optarem ex piis animis dissipare. Et quantum  
in falso credita hujus doctrinæ repurgatione sibi tribuat  
Auctor, passim jactatum videoas; e. g. p. 512. Quandoqui-  
dem miris quibusdam ideis animi hac in re occupentur - ego  
hoc, quicquid sit, exaq̄de dilucidare conabor. Item p. 514. Ho-  
mines pernicioſa plurima & falsa ideæ, quam de Justificatione  
sibi communiscuntur, involvunt. Noſtrum itaque erit, illa se  
pote extirpare & fecernere. Ex his manifestum est, POL-  
RETUM in eo versari præjudicio, quod nostra etiam  
ecclesia non aliter sentiat de Justificatione, quam corru-  
ptioni prava alendæ & ipſi Epicureismo fovendo con-  
fentaneum est. Hoe vero ἐγκλημα quam iniquum fit,  
nunc strictum videbimus.

MEMBRUM IL

De

Falsitate sententiae Poiretianæ,  
brevi examine demonstrata.

Σύνοψις.

## Σύνοψις

*Exprobratio admissi patrocinii impietatis refellitur sex argumentis, quae sunt: 1) ordo regenerationis. §. I.*

*2) Qualitas hominis justificandi. §. II.*

*3) Natura, seu indoles, fidei justificantis. §. III.*

*4) Ipse Justificationis modus & effectus. §. IV.*

*5) Adjunctum Justificationis proximum. §. V.*

*6) Effectus & fructus Justificationis indiculsi. §. VI.*

*Præterea præstantia doctrine de justificatione sex alius characteribus demonstratur. §. VII.*

*Quæ sententia non privata, sed publica est totius ecclesiae evangelicae. §. VIII. IX.*

*Unde Poiretiani erroris gravitas & lucefit. §. X.*

*Nec simplex est, sed conjunctus cum maligno voluntatis habitu, secundum quem impiæ ecclesiæ evangelica sententiam tribuit. §. XI. XII.*

*Denique examinatur locus Poireti de Satisfactione. §. XIII.*

*Ac demonstratur, in eo residere gravem errorem. §. XIV.*

*& contradictionem. §. XV.*

*nec non falsum principium. §. XVI.*

*& denique falsam interpretationem loci Paulini. §. XVII.*

*Subiungitur demonstratio nexus inter Satisfactionem & Sanctificationem. §. XVIII.*

*Notato Poireti περὶ τῷ φεύγει. §. XIX.*

## §. I.

**V**ltæ impietatem, seu ejusdem patrocinium a doctrina de *Justificatione*, in qua Satisfactionis fit applicatio, & quam Evangelici in confessione habent publica ac symbolica, maxime esse sejunctum, argumenta sequentia quam liquidissime evincunt: quæ sunt: 1.) **ORDO REGENERATIONIS AC CONVERSIONIS.** Nam regeneratione cum Justificatione adeo est conjuncta, ut nihil esse possit conjunctius: siquidem justificatio in regenerationem incidit, & sine hac vix cogitari potest; tantum abest, ut ea deficiente locum habere possit. Immo

mo tanta regenerationis ad Justificationem est necessitas, ut hanc ordine naturæ præcedat. Quid enim est regeneratio stricte dicta aliud, quam *accensio fidei*, qua homo ante hac in peccatis, quorum centrum erat *anititia*, mortuus spirituali vita donatur? Jam vero fides ordine naturæ antecedit Justificationem, et si ordine temporis ne ad momentum quidem sit prior. Ergo eandem etiam regeneratio, tanquam fidei scaturigo, eodem respectu antecedit. Si vero illa hunc in negotio salutis locum habet, a Justificatione impietatem animi ac vitæ omnem, quæ dominetur, quam efficacissime sejungit. Et hic ipse nexus efficit, ut vox una alterius notionem pro subordinatione sua non raro continueat. Exempli cauſa nunc ſufficientia duo haec loca Joh. III, 3. 5. *Nisi quis regenitus (& ſimul justificatus) fuerit, in regnum calorum haud intrabit.* Rom. V, 1. *Igitur justificati (in ordine regenerationis, atque ita etiam regeniti) pacem habemus apud Deum.* *v. t. A.*

### §. II.

2. *QVALITAS HOMINIS JUSTIFICANDI*, qui est peccator contritus ac pœnitens; peccator, qui jam disciplinam convertentis gratiae admisit, missio omni impietati nuntio; peccator, quale modo dictus ordo regenerationis in novo spiritus statu habituque constituit; ejusmodi *ασεβης* Rom. IV, 5. qui, transitivæ conversionis gratia per regenerationem admissa, in conversionis intransitivæ, seu immanentis, negotio versatur, & mutata mente ad Deum supplex accedit, de ejus gratia & communione beatissima, in applicatione meriti Christi solicitus. Quam hominis justificandi indolem sequentia precipue loca meditationi nostræ commendant: Psalm. XXXII,

1. 2.

1, 2. CXXX. Jef. XLIV, 3. LV, 1. Matth. V, 3, 4, 6. XI, 28.  
Luc. XVIII, 13. feqq. Act. II, 37, 38. XVI, 29, 30, 31. XXVI,  
18. Rom. III, 19.

## §. III.

3. NATURA, seu INDOLES, FIDEI JUSTIFICANTIS. Ita e-  
nim ecclesia nostra de *organico fidei, quatenus justificat, negotio* docet, ut simul solicite tradat, quænam sit fidei  
justificantis, seu ejus, *quæ justificat, origo, quænam ejus-*  
*dem natura, seu essentialis constitutio ac indoles. Ubi*  
*urgetur, eam jam per se & in se, vi divinæ suæ originis,*  
*esse vivam & efficacissimam, potentia recte de Deo re-*  
*busque divinis sentiendi, & non minus etiam bene &*  
*sancte vivendi, instructam; utpote divinam lucem ac*  
*vitam in singulis animæ facultatibus, totamque ita com-*  
*paratam, ut per eandem anima ac totus homo a Deo*  
*creatore, salvatore, ac directore suo unice pendeat, in*  
*Deo, tanquam salutis suæ auctore & fundamento, unice*  
*recumbat & acquiescat, & ad Deum, scopum suum,*  
*omnia in solidum referat, seque ipsi consecret totum.*  
*Et cum hæc ipsa fides famelica sit & fiticulosa respectu*  
*justitiae Christi, quam tenerrimo fidentique nisu appetit*  
*& attrahit, non minus, ac infans lactens ubera matris,*  
*Matth. V, 6. spiritualis hæc famæ sitisque per naturam*  
*suam necessaria conjuncta est cum fastidio nostri & hu-*  
*ius seculi, omnisque vanitatis, cuius schemate illud cir-*  
*cumvestitum videmus. Quomodo vero hæc ipsa fides, cu-*  
*jus natura jam inde ab origine sua, atque ita jam ipso ju-*  
*stificationis tempore, tam egregiis dotibus prædicta est,*  
*unquam permittere potest, ut doctrina de justificatio-*  
*ne, cuius aëtum ex parte hominis constituit, Epicureæ*  
*securitati patrocinetur? Quo jure fides justificans pec-*

D

catis

26 MEMER. II. DE FALSITATE SENTENTIÆ POIRETIANÆ,

catis dicetur patrocinari, quæ simulac existit, per ipsam naturam suam tota est victrix τῆς ἀπειθίας & in ea residentis peccati omnis; adeo ut illam ipsam pro indole sua victrici Joannes vocet ipsam victoriam, quæ mundum vicerit. I. ep. V. 4. Hanc autem fidei justificantis indolem negotio ejus organico & λαπτικῷ, quo justificat, non obstat, nec hoc illi adversam esse, res ipsa indicat, & in Dissertatione sexta ex instituto demonstrabitur.

§. IV.

4. IPSE JUSTIFICATIONIS MODUS & ACTUS: qui etsi forensis est & in judicio Dei fit, ita ut, merito Christi ad justitiam nobis imputato, nostra nobis injustitia non imputetur; neutiquam tamen ita fit extra hominem, ut nullam is accusationis divinæque absolutionis experientiam subeat. Aliud sane docet cum ordo regenerationis, tum hominis justificandi, ut & ipsius fidei justificantis, indoles, quæ modo descripta est. Etenim hominis justificandi est, vi vive fidei, per regenerantem gratiam accensæ, tribunal Dei demisse ac suppliciter adire, miseriæ suam suumque reatum agnoscere, confiteri ac deplorare; gratiam vero Dei, Christi merito nimam, in remissionem peccatorum ac justitiam coram Deo valentem, fidenti nisu expetere, ibique in verbo promissionis obviam avide amplecti, ac sibimet ipsi applicare & in applicata recumbere. Atque ita forum jungitur foro, forum conscientie confidentis foro divine iustitiae. Id quod Paulo est esse ἵπτειν τῷ Θεῷ, reum sub & coram iudicio Dei, ubi fides supplex tota est בְּרַחֲלָה וּבְתִרְחָנָה, secundum illud Davidicum, quo Deus dicitur orationem credentis supplicem audire benignoque affectu & effectu suscipere. Hic vero justificationis modus, qui ex

ex parte hominis hanc fidem divinæ praxin & experientiam requirit, non potest non homini justificando omnem mali propositi dominantisque pravitatis sensum excutere. Id vero, quod respectu pietatis non impediat, sed potius quam efficacissime promota, de *Justificatione* dicitur, valet etiam de ejus fundamento, *Satisfactione*: cum *Justificatio* sit *Satisfactionis applicatio*.

## §. V.

5. ADJUNCTUM JUSTIFICATIONIS PROXIMUM, quod est in multiplici charismatum dono & ornatu. Nec enim justitia Christi apprehensa sola, aut nuda, venit, sed cum comitatu aliorum spiritualium bonorum, quorum complexus est in beneficio isto quintuplici & primario, in adoptione, pace, libertate, nec non in unitione ac rectione Spiritus Sancti: quorum beneficiorum evangelicorum collatione regnum Dei intra animam instauratur, secundum illud Pauli: *Regnum Dei est justitia, pax & gaudium in Spiritu Sancto*, Rom. XIV, 17. Quibus bonis nominatis reliqua etiam, quæ ejusdem originis & indolis, diversi tamen generis sunt, comprehenduntur. Confer caput V. ad Rom. v. i. seqq. ubi egregiam eorum seriem exhibet Apostolus: Δικαιοθέτεσ, justificari, inquiens, pacem habemus apud Deum κ. τ. λ. Jam vero horum charismatum ea est natura & efficacia, ut interiorem hominem magis magisque renovent, eumque viribus ad vitæ sanctioris praxin necessariis instruant & corroborent. Unde denuo efficitur, tantum omnino abesse, ut *Justificatio* vela laxet impietati, ut potius eadē adstringat quam firmisime, nervis ejus omnibus incisis.

## §. VI.

6. EFFECTUS & FRUCTUS JUSTIFICATIONIS INDIVULSI,

D 2

qui

qui sunt in *caritate*, quæ omnia & singula pietatis officia continet, tum erga Deum, tum erga nos ipsos aliosque homines, exercenda. Caritatis vero praxis a fide justificante simpliciter esse inseparabilem, quis negat? Certe facilius a vita naturali motum, a sole calorem, a pomo odorem, a manu facultatem operandi se jungas, quam caritatem a fide justificante. Et cum per regenerationem, in cuius negotium Justificatio incidit, homo quasi fiat planta, ad rivos aquarū posita, planta per Justificationem ipsam, ejusque adjuncta charismata, tam evangelicis modis rigata & fœcundata; quis de ejusdem fructibus posset dubitare?

## §. VII.

Præter sextuplicem hunc veritatis pietatisque characterem, quo doctrina de Justificatione, quæ illi de *Satisfactione* innititur, conspicua est, eadem præstantiam suam etiam sequentibus lex attributis, seu proprietatibus, quam luculentissime commendat.

1. *Deum ponit extra omnem suspicionem maligni concursus in lepsu & corruptione humani generis.* Cujus enim rei satisfactionem exegit divina justitia, eam decernere, aut approbare, non potuit. Doctrinam vero de Satisfactione esse quasi animam Justificationis, manifestum est.
2. *Statum pecati universum proponit in gravitate ac fædite sua.* Qua agnita peccator simul necessitatem ac salubritatem gratiae forensis & medicinalis recte agnoscit. Gravissimam vero esse culpam, quæ infiniti pretii lytro, cuius applicationem habet Justificatio, eguit, quis non intelligat?
3. *Suum tribuit cuique, Deo & homini: Deo omnia, homini autem*

*autem peccatori nihil in salutis negotio. Deum enim super omnia evehit, hominem deprimit, ut mendici, immo rei capitalis instar, demisse de se sentiat, nec se ipsum, sed Deum ejusque voluntatem, pro scopo & norma sua habeat.*

4. *Hominem in ordine dejectionis ita erigit, ut ad naturae suæ nobilitatem primævam redeat. Est enim dejectio ista tantum medicinalis, in reatus morbiq; & paupertatis agnitione ad veram absolutionem, sanationem & cœlestes divitias, tendens.*
5. *Ostendit exhibetque verum Ætiov christianam, positum in beato & suavissimo nexus fiducie & sinceritatè, seu sanctimoniam, ita ut per omnem vitam ambulare possimus, uti sine arida anxietate FIDENTER & alacriter, sic non minus etiam SINCERE, seu sancte, sine securitate Epicurea. Etenim Justificatio, lytro & merito Christi superstructa, in se alit fiduciam in imbecillitate nostra; ejusdem vero ordo, quem in nexus cum regeneratione & renovatione habet arctissimum, animac vitæ sanctimoniam requirit, eandemque gignit ac auget.*
6. *Ipsi rationi, seu lumini naturali, non est adversa hec doctrina de Satisfactione & Justificatione, sed ita potius est comparata, ut ratio, præcipue illuminata, quam fibigeta excogitare haud potuit, eam revelatam non possit non admirari. Cujus adserti fundamentum est satis manifestum, cum in ipsis præstantiæ momentis modo adductis, tum in analogia fori humani & divini, foro divino infinitam & omnis defectus experimentem eminentiam præ humano habente.*

## §. IX.

Hæc hactenus de doctrina hujus innocentia & præstatio, immo & de ejusdem meritis in universam rem christianam. Non vero existimandum est, hanc meam solius, aut paucorum, esse sententiam, sed universæ illa est ecclesiæ Evangelicæ in omnibus ejusdem doctoribus genuinis ac reliquis veri nominis membris. Id quod ut multis nunc probem, aut illustrem, testimoniis, instituti mei ratio, quæ brevitatis studium mihi commendat, non permittrit. Neque opus est hoc subfido in veritate manifestissima. Sufficit enim ea e pandectis sacris hausta hujus doctrinæ demonstratio, quæ se cuvis, quod spero, lectori *γνῶστε* evangelico, aut Evangelicam veritatem amanti, ad conscientiæ convictionem probat.

## §. IX.

Ne tamen publica ecclesiæ nostræ confessio hic sit *ἀσύρματος*, audiamus eam nonnullis in locis: p.17. Tota hec doctrina (de Justificatione) AD CERTAMEN PERTERRIFICATAE CONSCIENTIAE pertinet, nec sine illo certamine inteligi potest.

Pag. 63. Tota hec res (de merito hominis) confusa est ab hominibus oriosis, qui non norunt, quomodo contingat remissio peccatorum, & quomodo in JUDICIO DEI ET TERRORIBVS CONSCIENTIAE fiducia operum nobis excusiatur.

Pag. 66. Facile est otiosis fingere ista somnia de dilectione, quod reus peccati mortalis possit Deum diligere super omnia, QVIA NON SENTIVNT, QVID SIT IRA, AUT JUDICIUM DELAT IN AGONE CONSCIENTIE ET IN ACIE EXPERITUR CONSCIENTIA vanitatem illarum speculationum. Conf. p.68. Fides, quæ gratis accipit remissionem peccatorum - REGENERAT COR DA H.T.A.

Pag.

Pag. 71. *Prædicatio paenitentie, quæ arguit nos, PER-  
TEREFACIT CONSCIENTIAS veris & serius terroribus. In his  
corda rursus debent concipere consolationem. Id sit, si credant  
promissione Christi, quod propter ipsum habeamus remissionem  
peccatorum. Hec fides, in illas favoribus erigens & consolans,  
accipi remissionem peccatorum, iustificat & vivificat.  
Nam illa consolatio est NOVA & SPIRITALIS VITA. - Cum de  
tali fide loquamur, quæ non est otiosa cogitatio, sed quæ a mor-  
te liberat & NOVAM VITAM in cordibus parit & est opus  
SPIRITUS SANCTI, non sicut cum peccato mortali, sed tantisper,  
dum adest, bonos fructus parit.*

Pag. 72. *Hec diximus, ut modum REGENERATIONIS o-  
frenderemus, & ut intelligi posset, qualis sit fides, de qua lo-  
quimur. Conf. p. 110. Fide in Christum RENASCIMUR. & p.  
127. Oportet corda fide RENASCI.*

Pag. 109. *Hec fides cum sit NOVA VITA, necessario pa-  
rit bonos motus & opera. Conf. p. 134. Ideo RENEGERAMUR &  
Spiritum Sanctum accipimus, ut nova vita habeat nova opera,  
novos affectus, timorem, dilectionem, odium concupiscentiæ  
&c. Hec fides existit in POENITENTIA &c. Item: Hec  
non discuntur sine magnis & multis certaminibus. Quoties re-  
currit conscientia, quoties sollicitat ad desperationem - Hoc  
chirographum non deletur sine magno agone, ut testatur expe-  
rientialia, quam difficilis res sit fides. Et dum inter terrores e-  
rigimur, & consolationem concipimus, SIMUL crescent alii mo-  
tus spirituales, notitia Dei, timor Dei, fides, dilectio Dei, &  
regeneramur, ut ait Paulus, ad agnitionem Dei & intuentes  
gloriam Domini transformamur in eandem imaginem.*

Pag. 172. *Hec fides ita sequitur terrores, ut vincat eos,  
& reddat pacatam conscientiam. Huic fidei tribuimus, quod  
JUSTIFICET & REGENERET, dum ex terroribus liberat, &  
pacem*

32 MEMBR. II. DE FALSITATE SENTENTIÆ POIRETIANÆ,

pacem, gaudium, & NOVAM VITAM in corde parit. Hanc fidem defendimus vere necessariam ad remissionem peccatorum.

Pag. 692. In conversione per Spiritum Sanctum fides ex auditu evangelii in nobis accenditur. - Et hec [fides & ejus fructus] non ita divelluntur, quasi vera fides aliquando & aliquandoflare possit cum malo proposito; sed ordine causarum & effectuum, antecedentium & consequentium, ita distribuuntur. Manet enim, quod LUTHERUS recte dicit: Bene convenient & SUNT CONNEXA INSEPARABILITER FIDES ET OPERA: sed sola fides est, que apprehendit benedictionem sine operibus, & tamen NUNquam EST SOLA.

Pag. 701. Fides [quemadmodum D. LUTHERUS in prefat. epistola Pauli ad Romanos scribit] est DIVINUM QVODDAM OPUS IN NOBIS, quod nos immutat, ex Deo regenerat, veterem Adamum mortificat, & ex nobis plane alios homines [in corde, animo, & omnibus viribus nostris] facit, & spiritum sanctum nobis confert. Et est fides illa quiddam vivum, efficax, potens: ita ut fieri non possit, quin semper bona operetur. Neque fides querit demum, an bona opera sint facienda, sed priusquam de ea re inquiratur, jam multa bona opera efficit, & semper in agendo est occupata. Qui vero non adhunc modum bene operatur, is homo vera fide caret: & ubi sit fides, ubi bona opera, quasi cucus palpando queritat, neque tamen, quid fides, aut bona opera sint, novit: interim tamen multa inepta de fide & bonis operibus garrit & nugatur. Fides iustificans est viva & solida fiducia in gratiam seu clementiam Dei, adeo certa, ut homo millies mortem oppere, quam eam fiduciam sibi eripi pateretur. Et hec fiducia atque agnirio divine gratie & clementie letos, animosos, alacres efficit, cum erga Deum, tum erga omnes creaturas: quam letitiam & alacritatem Spiritus Sanctus excitat per fidem. Inde homo sine ulla

*ulla coactione promptius & alacris redditur, ut omnibus beneficiat, omnibus inserviat, omnia toleret: idque in honorem & laudem Dei, pro ea gratia, qua Dominus eum prosecutus est. Itaque impossibile est, bona opera a fide vera separare, quemadmodum calor urens & lux ab igne separari non potest.*

Sic de fide & toto negotio ac ordine Justificatio-  
nis statuunt libri ecclesiæ evangelicæ symbolici. E quibus,  
aliisque, quæ prætero, testimoniis, luce meridiana est  
clarior, hanc doctrinam adeo ab impietatis patrocinio  
abesse, ut veram vitæ sanctimoniam in egregio suo or-  
dine potius quam efficacissime urgeat, tota justificati ho-  
minis mente ad cultum Dei inflammata. Qui ὁμόψυχοι  
Theologorum testimonia requirit, adeat, si lubet, li-  
brum a via media inscriptum, ubi ea Part. III. p. 124. ma-  
gno numero inveniet.

## §. X.

Quæ cum ita sint, grandis sane error est Cl. Po-  
RETI, quando doctrinam de Justificatione, qualem E-  
vangelici in confessione tradunt publica, & *abfurditatis*  
arguit & *impietatis*, existimans, non esse ullam aliam,  
quæ effusæ peccandi licentiae fenestræ magis patefaciat,  
animosque, sanctioris disciplinæ frenis laxatis, in omnem  
solvat proterviam & mores corrumpat. Quæ doctrinæ  
istius incusatio, cum innocentiae ac præstantiae ejusdem  
præsidii collata, quam gravis sit ac dura indignaque,  
quis non animadvertisit, immo ad rei indignitatem co-  
horrescit? Dolendum itaque est quam maxime, præci-  
pue ipsi POIRETO, ipsum in tanta evangelii ignoratione  
versari, ut centrum ac medullam ejus non agnoscat, sed  
pro commento habeat exitiali, & ab ipsa etiam saniore  
ratione alieno.

## E

## §. XI.

## §. XI.

Non vero simplex est hic error, sed conjunctus omnino cum rectioris sententiae contemtu ac impugnatione. Istius notitiam habuisse POIRETUM, ipsa testatur impugnatio. Sed accuratam illam esse ac solidam, quis credat? Hæc enim sui amorem reliquisset in animo, non tantam aversionem. Debebat tamen vir doctissimus ad melioris notitiae ~~āxp̄seay~~ adspirare. Et, eidem contradictrurus, justæ disputationis legem servare tenebatur. Verum ab hac alienissimus ad alia divagatur omnia, malæ caussæ suæ præsidium haud postremum in larvata Andabatarum pugna quærens. Nam sœdissum doctrinæ evangelicæ male intellectæ abusum, qui Epicurei animi homines, Evangelicorum nomine indignissimos, infatuavit, sibi sumit oppugnandum; sed mala hac arte, ut arietes suos simul ipsi celesti veritati obvertat. Quasi vero unquam pro sua agnoverit ecclesia nostra absurdam & impianam hanc sententiam: Homo ~~āuerāvont̄~~ & pessimus quisque, etiam perseveranter talis, simulac coram Dei judicio provocat ad meritum Christi, a peccati culpa & poena absolvitur, absolutus vero, & in peccatorum veterano consopitus, impunitatis plerophoria in eodem perseverat, donec ad cœlestis vitæ hæreditatem transferatur.

## §. XII.

**Βδέλυγμα** hoc est propudiosum; **βδέλυγμα**, non membrorum, sed carcinomatū ecclesiæ; **βδέλυγμα**, ex Epicuri schola ortum & in diaboli officina procusum, ideoque ecclesiæ evangelicæ detestandum. Id quod quando eidem publico imputavit scripto POIRETUS, quanto se **ψευδοκαρπυσις** crimine obstrinxerit, ipse viderit. Siccine

cine inter alia duriora effata oportebat ecclesiæ nostræ occinere illud: *Justificatio non est, nisi declaratio quædam, nos & que justos reputari, atque est Jesus Christus, licet puri & puti ad hoc nebulones simus.* Item: *Nonne ea est horribilis quædam Justificationis idea, homines non servare, sed æternum damnare apta?* - *Hec profecto declaratio judicaria, hic ætus forensis non nisi a Satana in foro conscientiae occæcata fieri potest.* n. r. λ. Vidimus hæc & alia plura in excerptis Poiretianis. Salva esset res, si hæc Epicureorum hominum ignorantia & abusui doctrinæ de Justificatione oponeret. Sic enim inumeros veri nominis christianos, & inter hos præcipue genuinos ipsorum doctores, consentientes haberet. Sed læva proh dolor! ipsi mens est, quia hoc opprobrio ipsam onerat ecclesiam Evangelicam. Et impium sane est votum, quando e confessione Symbolica sententiam de Justificatione, at ab ipso perversissime propositam, ejectam cupit. Facinus vero plane pleudevangelicum est, quando pro eo, quod fidei articulum de Justificatione a corruptelis Epicureis vindicare debebat, imperitis τῶν ἀνάνω mentibus sub magna veri rectique specie novum plane dogma obtrudit, aut potius speciosissime insinuat; dogma non e tabulis sacris depromptum, sed e superbienti rationis sibi relicta, suæque BURIGNONIAE, magisterio defunctum, præjudiciis, quæ de patrocino impietatis adversus rectam ecclesiæ sententiam conceperat, non parum subservientibus.

### §. XIII.

Ex his, ut arbitror, abunde constare potest de gravitate & iniquitate accusationis, quam POIRETUS doctrinæ Evangelicæ de Justificatione intendit. Et cum hæc

E 2

ipa

ipsa *eyualuata* simul in dogma evangelicum de Satisfactione recidant, vindicato isto hoc etiam ab injusta promotæ impietatis exprobatione vindicatum est. Locus vero iste, cuius initia supra Membr. I. §. II. adducta sunt, ut seorsum hic excutiatur, at quam fieri potest brevissime, rei indignitas postulat. Structura ejus paulo plenior hæc est: *Quod ad me attinet, si scholastica iſhæc commentatio sanctificationis incentivum hominibus esse posset, certe eandem, quamvis falsam, nequaquam rejicerem.* Tanti enim non est, quo quis pacto rationes ac causas passionum Domini concipiat, quam ut ad verum vitæ mortisque ejus scopum tendat, qui, monente Sancto Paulo, est, quo nos redimeret ab omni iniquitate & munideret sibi populum, sectatorem bonorum operum Tit. II, 14. At quem illa sanctificationi potius obliuetur, quam pro sit [saltē plurimorum respectu] facile eandem & ego reliquæ proferendo genuinas rationes iſius agendi modi, quem amplexus est Servator, quarum quidem epitome habetur §. II. 12. 13. cap. 1. hujus libri, quarumque primariae absolvuntur conformitate ac imitatione Christi, ac necessitate moriendi peccato atque vivendi justitie. Huc demum referri debet totum iſhæc negotium: alioqui, quamvis Christus Dominus sexcenties sese tradidisset; tamen si homines morti ipsius minime redderentur conformati, nullius peccati remisso, ablutio, nec expiatio, nulla cum Deo reconciliatio, nullaque salus ulli eorum obtingere posset. *x. r. λ.*

## §. XIV.

Hic locus, vel obiter tantum excussus, quatuor *re* *deas* sua documenta prōdit: *errorem, contradictionem, principium absurdum, finitram oraculi Tit. II. 14. interpretationem.* Error grandis in eo est, quod Auctor dogma de Satisfactione adeo pro nullo habeat sanctificationis incera-

incentivo, seu adjumento, ut eidem potius obluctetur. Contrarium vidimus, sed POIRETO ad hanc veritatis lumen caligante. Error porro est, dicere, *rationes intercessione Christi primarias absolvī conformitate & imitatione Christi*. Conformatas ista & illa Christi imitatio non est ratio rei formam constituens, sed officium reconciliatorum necessarium, quo se genuinae applicationis fructus exserit. Nostri vero expiatio, lytri exsolutione praesita, in qua intercessionis nervus est, POIRETO ne secundaria quidem ejus ratio est, sed commentatio scholastica. Eam scholae Christi & Apostolorum plantam esse celestem, suo loco videbimus.

## §. XV.

Verum enim vero error iste sua se ipsum contradictione destruit. Et hanc deprehendimus in addita restrictionis formula: *salem plurimorum respectu*. Scribit enim Auctor, dogma quod impugnat, *sanctificationis potius obluctari, quam prodeſſe, SALTEM PLURIMORUM RESPECTU*. Quis hic non animadvertisit animum POIRETI lubricum & fluctuantem? Si non omnium, sed plurimorum tantum, sanctificationi obstat potius, quam prodest dogma, istud; inquirendum erat, utrum ei obstat per se, an vero per accidens e culpa hominum, eodem turpiter abutentum? Quam culpam justa inquisitio quam certissime fuisset proditura. Et si, quod concedit Auctor, non desunt alii, quibus adeo nihil inde impedimenti ad vita sanctimoniam fuit objectum, ut iisdem argumentum istud a Satisfactione petitus potius profuerit; quo, quæſo, jure illud *scholasticam* vocavit *commentationem*, totamque doctrinam de Satisfactione explosum ivit?

## §. XVI.

At tanta est Poiretiana analogia *reſcia*, ut contradictionem hic in aduersitate suis non agnoscat, et si est manifesta. Fovet enim hypothesis, quod tertio loco ad verba ejus notandum est, etiam *falsam doctrinam ad sanctimonia studium prodeſſe*. Hanc vero ejus esse sententiam, liquet ex his ipsius verbis: *Si scholastica iſhac commen-tatio sanctificationis incentivum hominibus esse posset, certe eandem,*

*QVAMVIS FALSAM*, nequaquam rejicerem. Quo quid viro docto, ne dum pio & illuminato, cuius speciem præ se fert POIRETUS, dici possit indignus, vix reperio. Eone tandem ducit tanto-pere lectoribus prædictata illa verum rectumque investigandi methodus, libro de Eruditione præmissa? Siccine vera est sanctificatio, quæ falso nititur subsidio, seu fundamento lubrico, immo nullo? Siccine Auctoris nostri philosophia Θεολογίσσα agnoscit effectus non solum plane heterogeneos, sed cauissimam suis multo nobiliores, immo iisdem contrarios? Certe hoc ejus principium unum est ex illis, quæ noxia Papismi semina continent, aut speciosum ei colorem inducent. Videbimus enim in disputatione decima, Poiretum omnem Papatus superstitionem, etiam eam, quæ in absurdissimis & αντιγένεσι ritibus est, eo excusare, immo exornare, argumento, quod abnegationi & vita sanctioris praxi inserviat.

## §. XVII.

Quam vero porro indignum non est homine Christiano effatum, tanti non interesse, quo quis pacto rationes ac causas passionum Domini concipiatur, quam ut ad verum vite mortisque ejus scopum tendat. Hic rursus videmus Ὁὐρανὸν illud περὶ τερπον, quo prætermisssis & neglectis, immo vitiatis, cauissimam ad scopum effectumque tendit ψευδοπαιδεία Poiretiana. Nec parum fallitur Auctor, quando erroris sui præsidium querit in illo Pauli loco, quo Christus pro nobis semet ipsum dicitur tradidisse, ut nos redimeret ab omni iniquitate & mundaret sibi populum peculiarem, settatorem bonorum operum. Tit. II, 14. Etenim verbum λύτρω, vi notionis sua grammaticæ & usus biblici, ejusmodi notat liberationem, quæ non sit per solam λύσιν, tanquam per viam facti in ordine divina potentia, sed per λύτρον, per exsolutionem pretii, hoc est per redemtionem, sensu forensi sic dictam, atque ita per viam juris in oeconomia divinae justitiae, gratia ex interventu lytri temperata, λύσει, seu liberatione e potestatis & dominio diaboli, genuini & indivisi fructus instar inde quam efficacissime redundantem. Quod si diversa doctrina Evangelicae momenta in hoc Pauli oráculo obseruemus, in verbis prioribus: dedit semet ipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, habemus opus Satisfactionis: in verbis mediis: ναὶ ναθαρίσῃ ἐκυρῶ, & purgaret sibi ipsi, benefici-

beneficium *Justificationis* in Satisfactionis applicatione; subjuncta renovatione, ex evangelico justificationis fonte in ordine regenerationis derivanda. Additur enim: λαὸν περιέστιν Σηλωτὴν καλῶν ἔργων, populum peculiarem sceleratum bonorum operum. Nullius ergo sunt momenti verba loci Poiretiani posteriora: alioqui, quāvis Christus sexcenties siccō tradidisset, tamen, si homines morti ipsius minime redderentur conformes, nullius peccati remissio obtingeret. Frustra enim POIRETUS cum evangelicæ veritatis detrimento tuerit id, quod nos ea servata multo validius & efficacius adstruimus. Ceterum quæ citato Oeconomie loco Auctor in injuriam doctrinæ de Satisfactione partim præmittit, partim subjungit, in Disputatione V. excutientur.

## §. XVIII.

Quod si POIRETUS sacris potius tabulis, quam Burignoniæ suæ, scrando discendoque dedisset operam, non ignoraret arctissimum istum nexum, qui doctrinæ de renovatione cum dogmate de redēctione, seu satisfactione, intercedit. Ad quem demonstrandum, in copioso complurium locorum numero, sufficiat nunc unus & alter, præter vindicatum illum ex epistola ad Titum. Paulus 1 Cor. VI, 19, 20. proposito arguento a satisfactione desumpto, redēcti, inquiens, επίς προΐστη, Corinthiis magna cum contentione vītæ commendat sanctimoniam, corporis pariter ac animæ consecratione, Deo ὁλοκλήρως debita, demonstrandam. Eodem tendit illa scopi, & effectus, quem Redemtor in Satisfactionis opere intendit, commendatio, his facta verbis: *Christus pro omnibus mortuus est, ut illi, qui vivunt, non amplius fibimet ipsis vivant, sed illi, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.* 2 Cor. V, 15. Vide Gal. IV, 5. ubi Paulus opus redēctionis vīo-θεστας principium constituit. Τιθεστας vero statum sanctimoniarū officiis, tanquam radiis, coruscare, quis nescit? Conf. Gal. I, 4. 1 Pet. I, 18. II, 24. ubi mysterium Satisfactionis, diversis verbis modisque expressum, itidem tanquam scaturigo & incitamentum omnis pietatis prædicatur, omnibus impietati nervis incisil.

## §. XIX.

Hec hactenus de errore & præjudicio POIRETI primo. Ψεῦδος hic error in ipso omnino est. Utrum vero περὶ τὸν sit, quemadmodum hic in examine primum habet locum, id equidem non ausim definiti-

definire. Probabile tamen omnino est, ipsum, postquam animum serio, at minus evangelice, ad christianismi praxim applicuit, ex hoc, quod de patrocinio impietatis hauserat, prejudicio reliqua omnia, de quibus posthac agetur, derivasse. Posito enim, seu admisso, uno absurdo plura sequuntur, errantesque id agere solent, ut aliquam errorum suorum compagem & analogiam neant. Atque ita negato in Justificatione sensu forensi, tanquam periculoso ac noxio, vir doctissimus non potuit non negare justitiam Dei judicis vindicem, lytron requiri, porro peccati originalis imputationem & reatum, nec non Christi satisfactionem, ipsumque fidei negotium organicum, in apprehensione & applicatione lytri occupatum.

---

VIRO JUVENI PRÆSTANTISSIMO,  
DN. JOANNI GEORGIO ZELLIO,  
S. D. P.

### JOACHIMUS Lange/ D.

**P**rofessum meum in Disputatione publica expetenti tibi materiam exhibui, ut gravissimi, sic Tibi Tuisque gratissimi etiam, argumenti. In qua quid tui nunc sit officii, ut paucis publice te moneam, res ipsa postulare, Tuorum vero expectatio suadere videtur. Tuum, CARISSIME ZELLI, nunc est, eam, quam disquisitio publica tuam facit, evangelice veritatis partem, defendendo ita exornare, [exornabis vero] ut docti auditores videant, eam a te probe intelligi & solide dijudicari. Tuum porro est, ut quanto pietati subsidio, quantoq[ue] emolumenito sit doctrina evangelica de Justificatione, nunquam non ipsa vire praxi demonstres. Sic quem vere pium viderit quilibet, cundem pro justificato habere dubitabit nemo. Noveris etiam, hoc publico iuvavorint @ tua specimine, tanquam data tessera, temet obstrictum esse, ut hoc ipsum dogma gregi ecclesiastico, cure tue posthac concrendo, uti pure & incorrupte, sic etiam sancte, b.e. non nisi in ordine sanctificationis, tradas. Hoc est, quod certo spero, & ex animo precor, studiorum tuorum cursui apud nos ad metam perducendo uberrimam Spiritus Sancti gratiam sincere exoptans. Hal. Saxon. VIII, Id. Mai, M DCC XIX.

73 5225

ULB Halle  
002 698 757

3



St

Nb 18

Mt





*Q. D. B. V.*  
DISSERTATIONUM ANTIPORETIANARUM  
**DODECAS:**  
ET IN EA  
PRIMA  
DE  
**PATROCINIO  
IMPIETATIS,**  
*A VIRO CLARISSIMO,  
PETRO POIRET,  
IN OECONOMIA DIVINA  
DOCTRINÆ EVANGELICÆ DE  
SATISFACTIONE ET JUSTIFICATIONE,  
SENSU FORENSI ACCEPTA, PERPERAM  
TRIBUTO :  
QVAM  
IN REGIA FRIDERICIANA  
die Maji hujus M DCC XIX. anni,  
PRAESIDE  
**JOACHIMO LANGIO,**  
SS. THEOL. D. ET PROF. ORD.  
Ad τῶν συζητήσεων objections respondendo  
publice defendit  
**JOANNES GEORGIUS ZELLUS,**  
BIBERACENSIS SVEVUS.  
*HALAE SAXONUM,  
Typis JOAN. FRID. KROTTENDORFI. Acad. Typ.**

